



224

19

POSITIONES INAUGURALES
JURIDICÆ,
DE

M
1713, 6.

JURISDICTIONE
PATRIMONIALI,

Gallis

DES DROITS DE JUSTICE,

Quas

ITA PERMITTENTE

Illustri & Magnifico Fctorum Ordine
in Universitate Regia Argentoratensi,

(2)

Sine PRÆSIDE

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES

ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
RITE CONSEQUENDI

Horis locoque solis

Die 30. Maji, M DCC XIII.

SOLENNITER *pro Viribus*
defendet

STEPHANUS MILET,
Metensis.

ARGENTORATI,
Literis JOHANNIS PASTORII.



CHARISSIMO.
P A R E N T I,
S U O.

O B.

BENEFICIA. EX. PATER-
NO. EIUS. AFFECTU. COPIOSISSIME.
IN. SINUM. SUUM. EFFUSA. HOC. JU-
RIDICUM. EXERCITIUM. INAUGU-
RALE. TANQVAM. GENUINÆ. QVÆ.
FILIIUM. DECET. PIETATIS.
SYMBOLUM.

OFFERT.

DIGAT. ATQVE. CONSECRAT.

FILIUS. EIUS. OBSEQVIOSISSIMUS.

STEPHANUS. MILET.



Proœmium.

Sicuti justitia inter elegantissimos Regiarum coronarum flores merito reputari potest, siquidem mediante ea publicæ tranquillitati principes conservantur, atque subditi ab omni discordiarum mole liberantur, ita eadem majori splendore coruscat, quo nobiliores personæ eandem administrare cernuntur; Sane Majestatem Regis nostri Clementissimi hoc in casu maxime radiare deprehendimus, cum duplicem modum administrandæ justitiæ Gallia nostra

A 2 stra

stra agnoscat. Quibusdam enim Rex, ut
suis ministris à se immediatè dependenti-
lus, facultatem judicandi committit, quos
judices Regios nominamus, aliis vero
ipsum quasi fontem justitiæ cum dignita-
te quadam præeminenti, & quasi Regali
in feudum dat, vel alio titulo concedit,
qui rursus suos ministros & judices à se
dependentes constituere possunt, quos *ju-
dices subalternos* jurisprudentia nostra
nominat. De his aliqua Inauguralis
Dissertationis causa conscribere decrevi,
in eaque jura horum Dominorum Justi-
tiorum brevissimis enucleare atque ex-
aminare, quod, ut feliciter cedat, Divina
gratia secundet.





§. I.



Justiciariorum jura à Rege

solo dependere certissimi juris in Gallia est; nec opus est, ut eam in rem *s. item Instit. de lege Regia agentem de F. N. G. & C. aut caput: ubi periculum. de Elect. in sexto.* vel alias leges alle-

gemus, cum ex indole Statús publici facillime hoc principium, quod suppositi, elici possit. Scilicet cum Monarchiæ speciem in Gallia, & quidem in Europa excellentissimam reperiamus, statim argumentari licebit ex principiis Politicis, omnes jurisdictionum rivulos à Rege tanquam fonte promanare. Apud quem enim summa & absoluta regnandi, id est, justitiam & tranquillitatem publicam promovendi potestas est, ab eo utique omnis jurisdictio dependebit. Et hoc adeo in praxi observatur, ut si ad supplicem libellum Procuratoris Regii missio facta sit in jurisdictionem terræ Feudalis, Dominus Feudalis obstrictus sit, jus suum justitiarium probare per titulos sufficientes & idoneos, nisi jure suo prætenso cadere velit. Imò in tali casu ne quidem *provisioni* locus est, sed durante lite jurisdictio nomine Regis administratur, quia, ut optime *Molinius*, & ut

A 3

pium

pium subditum decet, differit, quando jurisdictio est in manu Regia, est proprie in natura & substantia sui vel in esse suo; cum Rex de jure Communi fundatus sit in omni jurisdictione. Unde & illud juris Gallici præceptum derivare possumus, jurisdictionem patrimonialem titulo *allodii Franci* possideri non posse, sed necessarium esse, ut omnis titulo feudali recognoscatur. Nam cum, uti jam probatum, omnis jurisdictio à Rege dependeat, non poterit ea independenter possideri, quod fieret, si jurisdictio allodialiter teneretur. Possit tamen alia jura, & feudalia & plebeja bona *ratione domini privati* independenter possideri tradit cum aliis *Carolus Molinus tract. de Consuet. Paris. art. 46. coll. 3.*

§. II.

Qui ergo dicit se justitiarium esse, concessionem jurisdictionis Regiam aut expressè aut tacitè factam evidentè probet; Tacitè fieri censetur ista concessio & probari mediante præscriptione immemoriali aut centenaria, cum hujusmodi centenaria & immemorialis possessio habeat vim tituli & juris constituti: *l. hoc jure §. ductus aqua ff. de aqua quot. & æstiva l. si arbiter ff. de Prob.* nisi bona Domaniale & Regalia, quæ à privatis possideri nequeunt, excipias, nam ut hæc in privatum tacita superioris voluntate transferantur & pro derelictis quasi habeantur, nec ratio politica nec naturalis suadet. Expressa Regis concessio probari alias in genere potest per testes & per instrumenta. Sed an in specie respectu Gallici Regni probatio per testes recipiatur, ob *Edictum Molinense* (quod iudicibus prohibet ne in pluribus

bus causis testimoniorum, tanquam probationum ordinariarum, rationem habeant) & alias à Bacquetio allegatas rationes, non leve dubium subnascitur. Sed non obstantibus his, modo citatus *Bacquetius* opinatur, concessionem jurisdictionis non solum per scripturam seu documenta, sed & per testes probari posse. Ad documenta tamen concessionem Regiam probantia malè retuleris ea, quæ à nostratibus *Aveus* & *denombrements* vocantur, quibus vasallus nudè asseverat, seu simpliciter declarat bona ad feudum pertinentia, ac ab eodem dependentia, nisi Dominus directus ea sine reprehensione, protestatione aut contradictione (*sans blâme*) acceperit, si sit feudum mediatum, aut nisi ea verificata sint, uti practici loquuntur, & Cameræ rationum insinuata, si sit feudum immediatè cum jurisdictione sua à Rege dependens.

§. III.

Concedit autem Rex tres gradus jurisdictionis; Alia enim est, *alia seu summa*, alia *media*, alia *bassa seu minima* jurisdictionis. Limites cujusque in genere definire velle opus esset arduum, imò ferè impossibile, cum nullam habeamus certam legem vel consuetudinem, quæ nobis regulam infallibilem suppeditare possit. Nihilominus complures articulos jurisdictionum istarum genera concernentes allegat *Bacquetius cap. 2. Tract. de jur. justit.* quos à Reformatoribus antiquæ Consuet. Paris. compositos, & ut vim legis fortirentur Regiis hujus Reformationis causa nominatis Commissariis oblatos esse refert; Licet autem isti articuli ob certas rationes reformatæ consuetudini non inserti fuerint, attamen multum in judicio

dicio illis deferri solet, tanquam operi, cui consummatissimi & multiplici experientia celebratissimi Jcti manum adhibuerunt.

§. IV.

Generalia Capita tantum delibemus. Et quidem
 1. *summus justitiarius* cognoscit de omnibus criminibus capitalibus & non capitalibus, exceptis *casibus Regiis*. 2. Potest ad eum finem habere carceres, Lictores, officarios & judices. 3. Jus patibuli quatuor columnis insistentis habere potest, si titulo aut possessione immemoriali fundetur. 4. Habet jus confiscandi. 5. Habet jus succedendi in bona illegitimorum ut & in bona heredibus destituta, sicut & jus, observatis tamen aliquibus solemnitatibus, acquirendi animalia mansucta, quorum Dominus ignoratur, *Espaves*, Gallis dicta. 6. Habet jus dividendi thesauri cum inventore & proprietario &c.

§. V.

Medius justitiarius cognoscit in prima instantia de omnibus actionibus civilibus, realibus, personalibus, & mixtis, & de delictis, quorum poena pecuniaria determinatur sexaginta solidis (*sols*). 2. Ut suam jurisdictionem exercere possit, locum judicii, Judicem, Procuratorem publicum, licctorem & carcerem habeat, 3. jus habet apprehendendi omnis generis delinquentes, eorumque processum, si grave crimen contineat, intrá viginti quatuor horas instruendi usque ad sententiam definitivam, quo spatio elapso summo justitiario transmitti debent. 4. Dat Tutores & Curatores, 5. Fines privatorum regit, Messores eligit temporibus suis, condemnat subditos in poenam ob censum non exsolutum &c.

§. VI.

§. VI.

Infimus Justitiarius cognoscit de omnibus actionibus personalibus inter subditos suos, ut & de delictis, quæ puniuntur decem solidis (*sols*). 2. potest apprehendere in territorio suo omnes delinquentes, & ad eum scopum habere carcerem & judicem, ea tamen lege, ut delinquens statim superiori transmittatur. 3. Habet jus finium regundorum, si partes in eum compromittant &c. Cognoscendi de jure censitico & puniendi subditos ob moram in exsolvendo censu commissam.

§. VII.

Omnes hi justitarii possunt subditos suos, qui ad alios judices, etiam Regios, distracti sunt, avocare & vindicare, quamvis, quod causas personales concernit, in loco judicis Regii, aut, sub sigillo Regio contractum iniverint. Idque possunt facere ex duplici ratione 1. quoniam subditi facto suo jus Domini justitarii *tanquam patrimoniale* lædere non possunt. 2. quia in Gallia Regula juris Civilis, quæ forum speciale tribuit ex loco contractus, cessat. Nam omnis actor apud nostrates in actione personali tenetur *regulariter* sequi domicilium Rei, eumque convenire coram judice ordinario domicilii, non habito respectu ad territorium, in quo contractus est celebratus, licet sit sigillo Regio munitus. Nam hoc nullum forum tribuit (nisi sigillum Parisiense, Montis Pessulani, & Briense excipias) neque per se neque per accidens, neque directè, neque indirectè, utpote si in conventionis instrumento partes aut generaliter aut specialiter judici Regio, sub cujus sigillo scriptum est, se submiserunt.

B

§. VIII.

§. VIII.

Debent tamen iustitiiarii subditos suos ad iudicem Regium vocatos *avocare* & *vindicare*, quia alias hi tribunal Regium declinare non valent. Id quod prudenter à Christianissimis Regibus nostris introductum, ut autoritas, & superioritas, quam in omnia Regni membra etiam eminentiora habent, eo ipso conservetur, demonstreturque omnem jurisdictionis fontem in Regia Majestate esse quarendum. Imo si subditus solus appellaret à denegatione Remissionis petitaë, non audiretur, quoniam se subditum Regis naturalem esse non negare potest; id quod contra Juris Romani communis tenorem est: Ergo necessarium est, ut Dominus iustitiiarius coram iudice Regio compareat, & jurisdictioni suæ obnoxium vindicet. Cui, si in petitione sua non deferatur, jus est appellandi tanquam à iudice incompetente, & alterius jurisdictionem usurpante. Appellare autem iustitiiarius *recta via* non potest, quamvis sit gravatus, sed indirecte, scilicet primo comparere debet coram iudice Regio, à quo subditum suum requirat, deinde in casu denegationis, appellare, rursus argumento certissimo, omnem, quam iustitiiarii exercent, jurisdictionem, à Regia Majestate emanare. Cujus generis cautela, si in Imperio Romano olim observata fuissent, nexus Reipublicæ illius non adeo laxè hodie cohereret. Verum prudentissimi pariter ac gloriosissimi Reges nostri in gubernanda Reipublica felicissimo successu observaverunt, id quod Poëta inculcat.

*Principiis obsta, sero Medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.*

§. IX.

Sic & summi iustitiiarii, quamvis in signum potestatis suæ, jus vitæ & necis habeant, eumque in finem furcas patibulares erectas, attamen *novas* erigendi facultas illis non est, absque speciali Regis permisso (*sans le congé du Roy*) & iudicis examine desuper facto. Imò *veteres* furcas restaurare aut reponere sine Regiis Literis, & iudici Regio insinuatibus nequeunt, nisi id faciant intra annum & diem, quo collapsæ sunt; Rex vero omnibus in territoriis universi Regni patibulares furcas quacumque forma & quocumque numero in symbolum absolutæ suæ potestatis, cui iustitiiarii subjecti sunt, exigere potest.

§. X.

Nihilominus apparitores Regii non possunt in territoriis dominorum iustitiiariorum executioni dare contractus sub sigillo iustitiiariorum celebratos, neque sententias iudicum subalternorum, aut similem jurisdictionis actum exercere, nisi. 1. consentientibus dominis, aut 2. in casu appellationis, aut 3. in casibus Regiis. Est desuper promulgatus articulus 18. Constitutionum Philippinarum, editarum Anno Christi 1302. Mense Martii qui hæc verba continet: *Que nul sergent Royal ne voise justicier és terres des Prelats, Barons ou autres Feaux du Roy, es quelles ils ont toute haute justice & basse: Si ce n'est en cas de ressort, ou autre appartenant au Roy. Et encore que ce soit du commandement ou mandement du Seneschal ou Bailly & qu'au dit mandement soit contenüe la clause appartenant au Roy.* Videatur de his amplius laudatus noster *Bacquetius lib. citato Cap. 26.*

§. I. & seq. Similiter nec possunt Notarii Regii in territorii justitiariorum, qui jus Tabellionatus seu Notarios creandi habent, instrumenta condere, contractus recipere, aut testamenta aliosque actus facere, nisi consensus dictorum Dominorum accedat.

§. XI.

Possunt quoque justitii summi & medii subditis dare mensuras & pondera, nisi consuetudo localis sit contraria. *Bacq. d. lib. C. 27. §. 19.* Habent etiam omnes justitii jus venandi, tam majus quam minus, ut & castra & fortalitia extruendi, *vid. dict. lib. Cap. 34.* Non vero jus tributorum, alluvionis, acquir. insulam noviter natam, molendinorum banalium aut constituendarum Nundinarum solemnium &c. uti de his omnibus amplius differentem Authorem allegatum videre benevolus lector poterit.

§. XII.

Sunt autem hi Domini justitii bene distinguendi à dominis *Censiticis* & *Dominiis feudalibus*. Hi enim quà tales proprie non habent jurisdictionem, id est facultatem litigantibus personis jus dicendi, quoniam omne eorum jus apud nos merè reale est seu rem tantum respicit non personam. Hinc Gallicum axioma; *Fief & justice n'ont rien de commun*, pareillement, *censive & justice n'ont rien de commun*. Jurisdictio autem patrimonialis & rem & personam respicit, *regalisque potestatis vicaria est*, cum è contrario censiticum & feudale jus circa dominium rei privatum tantum versetur. Et quamvis supra dictum sit, jurisdictionem patrimoniam non posse alio

alio titulo possideri, quam feudali & propterea feudum & jurisdictionem aliquam communionem inter se habere videatur, attamen re bene pensitata & explicata, contradictio, quæ hic apparere posset, confestim tollitur. Scilicet, quando dicunt, feudum cum jurisdictione nil communionis habere, id innuere volunt, feudo concesso non statim censi datam jurisdictionem, quia est qualitas extrinseca accedens feudo, ut tradit *Baldus in l. a procuratore C. mand.* dicuntque non valere consequentiam; Est Vassallus aut possidet feudum, Ergo est justitarius, aut exercet jurisdictionem patrimoniam. Vassalli ergo dantur sine jurisdictione, & justitarii sine terra feudali. Sed urges, quicquid non potest possideri sine titulo feudali, illud habet communionem cum feudo, Atqui jurisdictio non potest possideri sine titulo feudali, Ergo jurisdictio habet communionem cum feudo. R. Negando majorem, distinguendum enim est inter *terram feudalem, & nexum feudalem.* Terra feudalis non habet communionem cum jurisdictione, bene tamen nexus feudalis. Unde patet, justitarium non quidem esse posse *sine nexu feudali*, bene tamen esse posse *sine terra feudali.* Et hanc mentem quoque esse *Bacquetii* ex his ejus verbis probatur *Chap. 4. §. 4. Car tel a droit de justice en un lieu, qui n'a aucune feodalité ni censive au dit lieu, au contraire tel a droit de feodalité & de censive, qui n'a aucune justice. Aussi on peut tenir un fief, terram feudalem, en foy & hommage d'un Seigneur, & la justice du dit fief en foy & hommage (id est, nexu feudali) d'un autre Seigneur comme nous voyons ordinairement.*

§. XIII.

Hinc patet, Feudo simpliciter & pure à Rege donato, vendito aut alio titulo translato, jurisdictio- nem non esse eo ipso concessam, nisi ea per tempus immemoriale feudo cohaerit, non obstante, quod ea. quæ à Principe conceduntur sint largissimæ in- terpretationis. Et, quamvis jurisdictio feudo co- haerit, & per consequens ea quoque concessa vi- deatur; attamen iudex subalternus non poterit co- gnoscere de *Murro*, *Raptu*, aut *incendio*, quoniam hi casus Regii sunt, & iudicibus Regiis reservati.

§. XIV.

Vidimus hætenus in compendio justitiariorum Dominorum jura. Horum jurisdictionem supra dixi esse patrimoniale, hinc sua sponte nasci viderimus divisionem jurisdictionis in Realem & Personalem; Illa est, quæ ad hæredes transit & ad quosvis possessores, hæc, quæ cum persona expirat. Realem seu patrimoniale justitiariis competere dixi. Personalem exercent iudices vel à Rege, vel à dominis justitiariis constituti. Illi appellantur *Regii*, hi *sub- alterni*, illi *immediatè* à Rege, hi *mediatè* eodem dependent. Illorum *potestas amplior*, horum *restrictior*. Multi enim casus excipiuntur, qui sub cognitionem Dominorum justitiariorum haud veniunt. Hi casus dicuntur Regii seu privilegiati, eo quod soli Regii iudices hoc privilegium habeant de istis cognoscendi. Qui autem isti sint, paucis perillustrabimus.

§. XV.

§. XV.

Reperiuntur quoad maximam partem expressi in literis quibusdam antiquis Regiis Curiae Parlamenti insinuatis, & in *Indicem Regiarum Constitutionum fol. 60.* translatis. Scilicet soli iudices Regij cognoscunt de causis Ecclesiae, utpote Regiae protectioni subjectae, de Criminibus publicis summam in Republica Majestatem, & tranquillitatem publicam directò lædentibus, de muneribus & honoribus Regiis, de causis monetariis, de salvis conductibus, Remissionibus & Revocationibus banni, de jure civitatis, de jure amortizationis, de causis nundinarum, Universitatum, tributorum &c. *conf. Registrum de Temporalitatibus Camera Rationum fol. 121. 122. & seq. & stylus Parlamenti Cap. 29. & Joannis Ferraulti Tractatus privilegiorum Regni Francia.*

§. XVI.

Hæc sunt, quæ pro modulo ingenii disputationis inauguralis ergo publicæ & solemnî disquisitioni submittere volui. Si forsan Theses minus accurate scriptas hic deprehenderis, non Momi, sed Christiana censura me reprehendere digneris TcB.L. oro rogoque.

CO.

COROLLARIA
Ex Jure Civili.

I.

Possessio est Jus in re.

II.

Actio hypothecaria differt à pignoratitia.

III.

Actio de Retractu Consanguinitatis est
in rem scripta.

IV.

Etiam Prædo jus possessionis habere potest,
licet sit injustus possessor.

V.

Rei Vindicatio est actio purè realis apud
Romanos, apud Gallos mixta.

VI.

Præscriptio immemorialis & centenaria
differunt.


F I N I S.



Strassburg, Diss. 1711-15
X 2310583







323A

POSITIONES INAUGURALES
JURIDICÆ,
DE
JURISDICTIONE
PATRIMONIALI,

Gallis
DES DROITS DE JUSTICE,
Quas

ITA PERMITTENTE
Illustri & Magnifico Fctorum Ordine
in Universitate Regia Argentoratensi,
Sine PRÆSIDE

PRO LICENTIA
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
RITE CONSEQUENDI

Horis locoque solitis
Die 30. Maji, M DCC XIII.
SOLENNITER *pro Viribus*
defendet

STEPHANUS MILET,
Metensis.

ARGENTORATI,
Literis JOHANNIS PASTORII.

19

M

1773, 6.

(2)

